
V
B J
C
3360

76

INSIGNES
RIXÆ
Contendentium de vultu PRINCIPIS Gentium
DEORUM PROVIDENTIA
In Favorem Poloniæ
Feliciter decisæ
Seu
SERENISSIMI
AUGUSTI II.
post biennalem absentiam
Expectatissimus in REGNUM reditus
AB EQUITE POLONO
CELEBRATUS.
Anno Domini MDCCXXIX.




VARSAVIÆ
Typis Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ,
in Collegio Scholarum Piarum.

REX
SERENISSIME



llud adhuc ad complementum felicitatis publicæ expectabatur, illud ad excessum gaudiorum, ad insolentiam lætitiæ, desiderari videbatur, ut quem per manifesta rumoris indicia convaluisse è longinquo cognovimus, sospitem tandem Principem fidelibus ad coram intueremur aspectibus, REGUM desideratissime. Magnum exinde voluptati nostræ accedit incrementum, quod iam non ad varios narrantium affectus, nec ad inconstantis famæ mendacia, sed ad fidem oculorum, vitæ salutisq; Tuæ securitatem expendamus. Quis enim luminibus non credat, quis suis non acquiescat delicijs, cum in Poloniam redux AUGUSTUS *admirationi nostræ spectabilem, palpabilem osculis, & amoribus populi sensibilem offerat majestatem. Vsurpate Vobis quod*

placet oculi in tam amabili exporrectæ frontis contemplatione, me, licet in amœnissimo vultu propitiæ fortunæ lineamenta adverterim, nihil æque detinet, quàm perpetuus vivacissimi temperamenti vigor, quo pallida metuentium vota in spem meliorem possunt animari. Et certe qualis illa complanatæ cum animo faciei Serenitas, quale in succulento corpore robur, in viribus integritas? explicari satis non potest. Quicunque enim tam incorruptæ naturæ dona, & miserentium Deorum munera in Te suspicimus, facili quodam animorum consensu immortalem Te esse credimus, aut optamus. Profectò Divinitati propinquior illa conditio, quæ ultra humanarum rerum angustias sic processit, ut proprijs vegetetur vulneribus, augeatur detrimentis, & ipsa ægritudine in perennioris vitæ exordia efflorescat. Quando præsentis diei lætitiam cum præteritorum calamitate fatorum confrontamus, dum gratiosi vultûs hilaritatem cum antiquo mærore conferimus, vix oculis nostris acquiescimus, qui sibi futurorum eventuum prosperitatem in Augusta hac imagine repræsentant. Summâ igitur gestientium animorum ambitione præsentissimæ Tecum iucunditatis distrahimus undiq; voluptatem; & cum universorum affectibus divisus ornatissimam Reipublicæ *inducas faciem, novum tranquillitati nostræ de viribus Tuis robur communices, Pòësis quoque mea à Clementissimi vultûs amænitate colorem emendicat. Suscipe placidissima dignatione contendentium gentium rixas, & ut cæpisti vatem Tuum protege, qui æqualibus semper studijs* PRINCIPI *suo inservire contendit.*



POEMA

ARGUMENTUM.

Anxia, ob diuturniorem PRINCIPIS absentiam Polonia, *& variâ imminentium sibi periculorum expectatione territa, diem dicit Saxoniæ ante Deorum Tribunal, quatenùs ibidem compareat, & interceptum AUGUSTI vultum, votis publicis restituat, cumq; suas Saxonia, & Polonia rationes in pleno Senatu recitâsset, favorabili Iovis Decreto stetit, ut optatissima REGIS SERENISSIMI præsentia tandem Poloniæ redderetur.*

PRospera lux oritur, votisq; petita diurnis,
Quâ post sollicitæ longissima tædia noctis,
Redditus est cœlo Phæbus, solioq; Monarcha
Sarmatico. Cessate moræ expectando molestæ,
Lætus adest oculis cupidè spectantibus, & quem
Vulneris inflicti supernâ cæde madentem
Nostro Saxoniæ subtraxit cura dolori,
Restituit pulchro plenæ cum fænore vitæ.
Jam sanus vegetusq; redit, jam viribus auctus,
Blanditijs sese passim plaudentibus offert,
Et Lechiæ charam dicit portando salutem.

Ast non occurrit tanti præsentia vultûs,
Quominùs invideant alij, quibus ista sereni
Effigies animi, quibus hæc lux Principis astri,
Occidit in Lechicos commigratura Triones.
Exoreris nobis, alijs occumbis adinstar
Solis, & alternis redimunt hæc gaudia gentes
Diffidijs, hìc faustus ades, ploraris abesse
Ast alibi, totoq; feris propè jurgia mundo,
Qui sibi dilecti solatia disputat oris.
Sis licet Augustus, sis quamvis maximus, ægrè
Divideris populi Te deposcentis amori.
Hinc disconveniunt mentes, & vota vicissim
Rixantur, dum nempè nequis constanter haberi,
Quælibet optati dulcis possessio vultûs,
Sed cupidis nimiùm brevis est; hinc sæpe videndi
Inter delitias, amittendiq; periclum,
Insatiatus amor, veluti crudelibus armis
Speq; metuq; simul nutantia corda lacessit.
Ergo placet recitare novas in amore querelas,
Et brevibus narrare metris, quæ rixa! quis ardor!
Dividit affines terras, contentio qualis,
Saxoniam Lechiamq; secet, dum Regis eâdem
Majestate frui populus prætendit uterq;.
Sed quamvis sibi Regna movent asperrima litem,
Atq; diem pariter dicant Jovis ante Tribunal:
Hactenus inclemens discordia, pace coibit,
Si REX præsenti mitissimus annuis ore.
Fortè biennalem fecerunt astra recursum,
Bis gelidæ cecidêre nives, & frigida brumæ
Asperitas torpore rigens induxit opertis
Cani-

Canitiem terris, bis Syrius ussit aristas,
Ex quo perpetuo propè colluctando dolori
Sumpserat orbatos pullata Polonia luctus.
Scilicet ut vidit sparsam sine fronte Coronam,
Squallida deserti retinens insignia Regni,
Mæsta super vacuam jacuit prostrata curulem,
Dumq; suos abijsse dolet cum Rege lepores,
Flebilibus somnus tandem subrepsit ocellis,
Morpheus interea, scenæ placidissimus actor
Nocturnæ, curis velut illusurus amaris,
Exhibet horrifico certissima somnia ductu.
Nam modò fundatam Patriæ nutare quietem — *Pericula quæ absente Principe Poloniæ occurrunt.*
Aspicit, occultæq; vias aperire ruinæ,
Solertes in damna manus, jam bella facesq;
Insidiasq; videt, quas pridem corde maligno,
Subdola Sarmaticis struxit vicinia sceptris.
His etiam pejora stupet, nam vulnere cæco
Serpit in internis discordia livida venis,
Et distracta suo dissensio publica voto,
Impatiensq; calor, civilibus imminet armis.
Ergo tot infestis perterrita Lechia spectris.
Evigilat, madidosq; ferens ad sidera vultus,
Talibus extemplò singultibus ora resolvit:
Di quibus Imperij commissa est cura Lechæi,
Cernite quàm tristi quatitur gens ægra tumultu,
Omnia confundens, trepidantis opinio vulgi
Torquetur levitate suâ, passimq; futuri
Pallida successûs veluti prægustat acorem,
Et suspectarum terretur imagine rerum
Anxietas plebis timidæ, quæ sæpe remotis

In-

Ejus pro reditu Principis vota.

Ingenioſa malis, in propria damna laborat.
Et ſiquidem tantùm eſt in Principis ore medela,
Jnſpirate novum fibris Regalibus æſtum,
Ut deſiderijs populi propenſa voluntas
Maturet celerem paſſu felice regreſſum.
Nec ſolum reducē mihi reddite Numina Regē,
Incolumis redeat, proprijſq; valentior annis,
Illius ſtat nempé ſalus ſuffulta vigore,
Illius pax alma ſinu geſtante recumbit.
Dixerat, atq; pigras ſingultibus increpat horas,
Quod feſtinantis Domini momenta retardent,
Flatilibus nec non miſcet ſuſpiria ventis,
Ut citius Zephiri levibus portetur ab alis.
Jlle tamen longinquus abeſt, optataq; differt
Fruſtrâ promiſſæ toties ſolatia frontis.
Ergo velut diffiſa vijs mortalibus, omnem
Tranſtulit ad ſuperos Lechiæ contentio curam,
Unde pios meditata dolos, adjuta lacertis
Pennigeris, jungit niveas ad plauſtra volucres,
Ac aquilas Regni motu veloce ſecuta
Pænè ſub ætherei ſteterat regione Tonantis,
Qui tunc ſepoſitâ forſan mitiſſimus irâ,
Eventus rerumque vices ex ordine ductas
Mente gubernabat ſolidâ, fatiq; manentis
Conſilium vaſto ſic occultabat in orbe,
Ut mortale genus ſpes indeciſa teneret.
Hunc igitur venerata Deum lacrymabilis infit:
Magne Pater, qui cuncta regis virtute potenti,
Flecte ſuper Lechicū placidiſſima lumina Regnū,
Atque vide, quanto premitur gens tota dolore.

Tu

Tu, qui tam juſtâ libras momenta bilance,
Et ſic exactâ tot ſidera lege locaſti,
Ut ſibi ſuccedant noctis, rurſuſq; diei
Alternâ ſtatione vices; ſic tempora jungens,
Ut quodcunque hodié terror nocturn⁹ obumbrat,
Tergat id in proprio veniens aurora rubore.
Nunc pateris Lechiam longâ ſub nocte jacere,
Nec venit in noſtros feſtinans Phoſphorus axes,
Qui iam vicinæ lucis denuntiet ortum.
Phæbus abeſt, cæcoq; biennia mæſta recurſu
Sinceræ nil lucis habent, ſed triſtibus umbris
Obſita, vix ſeſe Patriæ cognoſcit imago.
Utq; ſcias, quantùm lucis deceſſerit orbi
Sarmatico, dum ſidus abeſt Regale; profectò
Tota ferè proprijs pullata Polonia fatis
Induit æternos numeroſo funere luctus.
Tres pariter cecidêre Duces: Rzevuſcius Heros,
In quo depoſuit ſincerus candor avitæ
Virtutis, famæq; ſimul monumenta vetuſtæ,
Occubuit brevibus fatis, nec jam amplius ardet
In cineris cumulo Mavors ſine ſole Polonus.
Quid memorē magni mæſtiſſima funera Denhoff,
Cui deplorando vix certè gentis utrius
Sufficiunt lachrymæ, nimirum miles in armis,
Civis in officio, belli paciſq; Miniſter
In ſe cunctorum propè combinavit amores.
Et dubium eſt, vitæ, num mortis majus haberet
Jlle decus? ſiquidem fato ſic accidit, ut qui
Vixerat AUGUSTO, ſtudio conſtante fidelis,
Auguſto pariter moreretur menſe ſepultus,

Quibus involvitur incommodis ob abſentiā Principis.

Fata Trium Exercituum Ductorum. Rzevuſcij Generalis exercituum Regni.

Denhoffij campi ductoris M. D. Litt: qui ſub AUGUSTO SECUNDO, Secundâ Auguſti occubuit.

Utro-

Utrobiq; sibi numerum servando secundum.

Chomētovij Campi Ductoris Polonici exercitûs bis in Orientem Ablegati.

De Chomentovijs quid dicam mæsta favillis,
Quid de morte viri, qui quantum luminis hausit?
Tot peregrinarum regionum sole calescens,
Jmpendit Patrio Civis clarissimus orbi.
Nuper Othomanã felix Legatus ad aulam,
Postea Rossiacis notissimus hospes in oris,
Concilians pariter famæ pacisq; decorem,
Nutantes animos renovato fædere junxit.
Tot tamen illustris titulis, meritisq; coruscus,
Non tulit absentis durissima damna Planetæ,
Sed post spectati toties Orientis honorem,
Occiduis sese lethi confundit in umbris.

Prebēdovij Thesaurarius Regni.

Nec Prebendovij casum reticebo jacentis,
Hic quatuor Regum Civis, testisq; coævus
Imperijs, vix non complexus sæcula, magno
Consilio, cæpit velut immortalis haberi,
Sive etenim pleno promebat verba Senatu,
Sive per eventus narratio ducta priores
Efflueret: sic compta fuit facundia lingvæ,
Atq; recens species, ut miraremur abundè
Jnter decrepitas juvenilia munera rugas.
Et credo vixisset adhuc, sed sole remoto
Frigidior torpore suo jam facta senectus
Debuit extremo vitam submittere letho.
Plura quid enumerem; communi fata furor
Grassantur, pavidumq; subit mors atra Senatum.

Octo Palatini eodem intervallo mortui.

Iupiter umbrarum numerum si consulis, octo
Sola Palatinas fregit Libitina Curules.
Ut taceam reliquos, quêis lugubre funus amaram
Eripu-

Eripuit sine Rege diem, flet Patria tota
Tam dilectorum tumulo prostrata Virorum.
Et nisi suspensam spes præconcepta foveret,
Iam consumpsissent tristissima tædia vitam
Cunctorum. Nunc ergo, Pater, reflecte benignos
In Lechiam visus; & terræ Saxonis astum

Querelæ Poloniæ Contra Saxoniam.

Imperio compesce Tuo; quæ læta subinde
Lechiadum ridet lacrymas, nostrisq; superba
Vulneribus, tandem fruitur splendore serenæ
Frontis, & Augustos modo possidet ipsa nitores.
Hujus ego technis contradictura nefandis,
Ante tuos prostrata pedes Pater alme jacebo,
Donec ad afflictæ crudelia damna ministræ
Respiciens, placido pro me decideris actu.
Dixit: & à luctu madidissima verba resorbens
Suspensis tacuit Mater veneranda querelis.
Ingemuêre Dij votis dubitantibus, atq;
Insonuit moto concussum cardine cælum;

Divisa Deorum Studia.

Paruit interea formosior Iris olimpo,
Innumerosq; trahens tepido de rore colores,
axoniam nimium lætam, citat ore venusto,
: nullas nectendo moras, obstricta Deorum
andatis sacrum se sisteret ante Tribunal.
a licet magnæ sibi conscia fraudis adesset,
mpserat hos animos, quales præsentia magni
incipis, & nullo distracta dolore voluptas
rre solet saturo propriâ dulcedine cordi,
tq; Iovem venerata stetit, dissensio quædam,
Cæperat æternas paulùm dissiungere mentes,
Et subito cæli disconveniente Senatu,

Causa

Cauſa patrocinijs fuerat diviſa Deorum.
Nutabant decreta poli; pro Saxone terrâ
(quæ Divinitates Saxoniæ favorabiles)
Alma Venus, gentiſq; tenerrima Mater amænæ
Aſſociat Triviæ ſibi fortia vota Dianæ,
Milleq; diverſo commota Deaſtra tumultu
(Quæ Numina Poloniæ propitia.)
In partes litemq; trahit: ſed Regia Iuno
Et Pallas, quamvis ſtudijs auſtera ſeveris,
Lechiadum queſtus ſummâ gravitate tuetur.
Iupiter interea ſpectabilis igne triſulco
Intonuit, juſſitq; reæ depromere cauſas;
Affatus tali trepidantem voce clientem:
Lechia mæſta dolet, quod ſidera debita cælo
Privatâ tu nube tegas, Regniſq; paratam
Innumeris faciem, gremio concludis avaro,
Redde jubar, fraudis vel jam convicta doloſæ
Iuſtifica grandem promptâ ratione rapinam.
Illa ſed arcano quaſi condemnata remorſu,
Duxerat aſpectus per Numina cuncta modeſtos,
Talibus excuſans dulciſſima crimina dictis:
(Saxoniæ pro ſe ad ſuperos oratio.)
Vix me tùm peccaſſe puto, cùm laſſa diurnæ
Anxietate moræ REGI,Lechiæq;dolenti
Attulerim medicas in publica commoda dextras.
Iure meo tunc uſa fui, nec credo Tyrannus
Exiſtet toto tam crudeliſſimus orbe,
Vt velit afflictæ defendere, quominùs illum,
Quem propè perdideram,veſtrâ bonitate renatū,
Exultans iterum teneris amplecterer ulnis.
(Et ejus rationes.)
Si contendis adhuc duro ſoror æmula voto,
Pace tuâ Superûmq; loquar, quod deſide cûrâ
Non benè provideas Regali commoda vitæ
Vt

Ut taceam caſus alios, quibus invida paſſim
Inſignes fortuna viros agitando flagellat,
In Lechia Princeps, nunquam ſine vulnere vixit.
Imprimis domito cum REX colluderet urſo, (Anno 1716 Regis digita ab urſo mordetur.)
Saucia lethifero fortiſſima dextra veneno,
Traxerat affectâ transfuſum parte tumorem,
Et morti monſtravit iter; nunc cœde recenti (Anno 1727 plantæ vulnus inciditur.)
Planta rubens, iterū patientis membra cruentat,
Vulneribusq; novis rurſus ſe porrigit; & ſic
Aut fatis, aut corde dolet plerumq; Paterno,
Læſa coronatæ toties clementia frontis.
Nec puto contendes,memori ſi mente revolvis,
Quàm Tibi jucundam primævo flore juventam
Principis obtulerim,viridi dum fervidus ævo,
Imperij primas placidè tractavit habenas.
Nunc verò gravius ſudans, matura priuſquam
Canities ſubeat, curarum mole ſeneſcit.
Et quoties Lechico laſſus diſcedit ab orbe,
Sæpe aliquod Domino redeunti, vulnus adhæret.
Et quoniam natura ſagax ſic juſſit, ut omni
Præcellat natale ſolum virtute medendi,
Suſcepi curam vitæ, ſtudiumq; fovendæ.
Quale igitur committo nefas? quod luce redēpta,
Incolumem Patrem, poſt oſcula facta beatis (Moræ Principis in Saxonia excuſantur.)
Vulneribus, plorans ad gaudia veſtra remittam.
Nec mihi Sarmatiæ ſors flebilis exprobret illud,
Quòd nimium longis velut inſatiabilis annis
Lumina detenti paſcam dulcedine vultûs,
Parva voluptatis nam ſunt momenta recentis;
Difficile eſt certè tam charo Patre carere,

Diffi-

Difficile eſt moderare ſitim, quæ forſitan ipſis
Uſibus augetur, creſcitq; cupido ſerenam
Spectandi faciem, quò ſæpius illa videtur.
Quæ porro documenta ferat prætenſio noſtra,
Ipſa reor quamvis contraria Juno probabis,
Dum jus maternum primo cum lacte dediſti.

Jus ſuum in retinendo PRINCIPE Saxonia probat.

Nùm decet oGenitrix,ut quem pro munere ſũpſi,
Sit mihi martyrij juſtiſſima cauſa perennis,
Quando delicijs genitum cum Principe ſidus,
Perdimus aſſiduo ſub Lechica Regna receſſu.
Ut tamen invidias evitem, cedo parumper
Jure meo, ſiquidem Majeſtas tanta teneri
Orbe nequit Patrio, ſiquidem diviſa duobus
AUGUSTI fortuna polis, & pluribus aſtris,
Limitibus nullis, nullo ſe fine coarctat :
Partiri mea dona volo, cum gente Polona,
Hâc tamen inter nos ceû conditione receptâ,
Ut cum continuâ nequeat ſtatione teneri,
Hoſpes ad amplexus veniat,redeatq; frequenter
Saxonicos, Princeps, & magni Sideris inſtar
Grande Jubar Domini cœlum percurrat utrumq;.
Dixit, & abrupit quodam mærore diſertum
Hactenus eloquium; ſed Lechia prompta calore,
Non expectatâ veniâ, nutuq;Tonantis,
Proſilit in queſtus, & verba tumentia ſumpſit:

Polonia objectas rationes refellit

Non ſatis eſt utcunq; meum læſiſſe dolorem,
Nì ſimul objicias ipſius crimina caſûs,
Et quodcunq; ferè vel ſortis iniquior ira ,
Vel levis eventus vario molimine fecit,
Fata tot exitijs in nos odioſa retorques.

Vulnus adeſt nullum, quod non oneroſa Polono
Appingas genio, crudeſcit nulla cicatrix,
Quam non irrites noſtri gravitate pudoris.
Fruſtrâ crudelis morſuras objicis urſi,
Tantùm bruta nocentDomino monſtroſa, feræq;,
Nil ſed ab humanis patitur manus illa moleſti
Ingenijs, miti quæ jam cicurata lepore,
Blanditijs Regum ſunt aſvefacta ſuorum.
Nunc verò ſucciſa gravi quod planta rigore,
Inter ſarmaticos cubet enervata dolores,
Afficit haud gentem præſens injuria; certè

Juſtificat impoſitas ſibi criminationes.

Si redimi poſſent fati decreta manentis,
Aut commutari, nullus de ſtirpe Polonâ
Civis erat, qui tum proprij diſcrimine colli
Non cuperet Domino prævertere vulnus adactũ.
Et prætendis adhuc reparatam munere cœli
Uſurpare tibi curâ potiore ſalutem?
Teſtes eſte Dij ! dum præbuit illa cruento
Officio dextras, ego ſolo emortua viſu
Audaces in membra manus, lacrymando juvabã.
Dum crudelis, adhuc ferrum gladioſq; teneret,
Noſtrates gemitus per maxima vota, preceſq;,
Dimidium cæptæ jam perfecêre medelæ.
Iſta tamen leviora puto: de jure loquendum eſt,
Quod ſoli tantùm tibi conveniſſe videtur
In Regale caput ; ſcimus te ſideris hujus

Jusq; ſuum potiore titulo evincit

Eſſe velut Matrem: nihil hæc evincit origo.
Qui Tibi nimirum primævo contigit ortu,
Obveniens nobis pariter pietate Deorum,
Tranſtulit in charos jus naturale Polonos.

Nascenti Domino cunas fortasse dedisti,
Nos solium, roseum donas pariendo cruorem,
Sed venit à nostro pulcherrima purpura voto,
Natalis Tibi jure soli, mihi jure coronæ
Debetur placidi præsentia Principis; unde
Delicijs nostris titulo majore tenetur;
Et cum sola Tibi Dominum natura tulisset,
Nobis Regnantem peperit devota voluntas.
O quantis spatijs dirimit fortuna Polonum,
Saxonicumq; decus! pariter suppono sacratos
Prosequimur vultus; verùm dilectio vestra
Est de servili modicùm suspecta timore;
Nos purus commendat amor, nulloq; coacta
Imperio, tacitè dulcissima corda movendo
Ducit ad affectus propensio mitis heriles.
Invisam trahitis vos à formidine legem,
Jus ab amore meum est. Quare jam lite soluta
Sarmaticis studijs Divi Divæq; favete.
Sic declamanti successit amabile murmur
Inter cælicolas, nam postquam vota Deorum
Jupiter ipse Pater, niveam collegit in urnam,
Risit, & afflictum solatus apertiùs orbem,
Vicistis lacrymæ, vicistis tædia, (dixit)
Æterno lex scripta stetit certissima sensu,
Ut Lechiæ luctus sparsus meliore sereno
Hospitis AUGUSTI vultu se pascat amœno.
Ite pares animi, concordes ite sorores, Decretum Deorum.
Felicem celebrate diem, nec mutua tantum
Invideat sibi cura bonum minuatq; voluptam.
Sicut enim vasto sol sufficit unus Olympo,
Sic

Sic etiam varias licet exdivisus in oras,
Sufficiet pariter pulchro Rex unus amori,
Nec frustra genitus Majali mense Monarcha est,
Quippe velut Tytan Geminis insigne recurrit, Quare Princeps in Majo sub signo Geminorum natus.
Et consummat iter veris florentibus horis.
Sic etiam Princeps radijs diffusus obortis
Saxoniam Lechiamq; sinu complexus eodem,
Ceù Phæbus populos illuminat ore gemellos.
Hæc super Empyreum steterat sententia cælum,
Quæ verò terris fuerit tunc scena peracta,
Ad finem narrare libet; Decreta Deorum
Attonitis postquam votis patuêre; benigna
Consulitur Regis pietas, qui spontè lacertos
Tendit in amplexus Lechiæ, totumq; petenti
Jmperio donat placido cum pectore vultum.
Suscipe Pierio decretas carmine Laudes,
Quod Patriæ vulnus consolaturus acerbum,
Non expectatum medijs te luctibus infers.
Haud ego diffiteor, nec dura mente resistens
Pugnabo, quod sit jucundior aura Parentis
Saxoniæ, majorq; quies, potiorq; voluptas
Sarmaticis curis; tamen o! AUGUSTE Monarcha,
Pulchriùs est nostra cum libertate morari,
Quæ cum spontè Tui se Juris fecerit; æquè
Te sibi perpetuis præsentem devovet annis.



